HISTORIARVM MEMORABILIVM ex Exodo, ſequentibusq́; libris deſcriptio,

*

Per Gulielmum Borluyt.

LVGDVNI,
APVD IOAN. TORNAESIVM,
M. D. LVIII.

GVLIELMVS BORLVYT CANDIDO LECTORI.

*

NESCIO qua fatorum ſerie iter in patriam adornanti, omni re, ope, conſilio, & ſpe deniq; (bellis hinc inde ingruẽtibus) deſtituto, idem mihi contigerit, mi lector, quod olim præclaris quidem illis, ſed tunc temporis minus ſedulis ducibus, euenit: cùm gratitantes anſeres, à quibus nil tale expectabatur, hoſtem capitolium inuadentem elato proderent ſtrepitu: canibus partim veterno obrutis, partim parum generosè aduerſarium diſsimulãtibus. Nam cùm curriculo Biturigas, & monumentorum reliquiis, & Duareni I. C. autoritate celeberrimam vrbem, imò ſuauiſsima quædam caballino rore irrigata tempe percurrerim: nullum tamen Mecœnatem, qui meæ ſuccurreret inopiæ, aut qui nil humani à ſe alienum exiſtimaret, reperi: ſiue vt in vilibus officiis figulus figulum odit, ita doctus docti ſingularem doctrinam & præeminentiam

ægrè patitur, siue intempestiuè adueni, siue (quod magis suspicor) honos vilescit in turba. Vtut est, me contuli Lugdunum, in ciuitatẽ sanè perquàm opulentam, & mercaturæ magis, quàm Mineruæ deditam. Quantumuis igitur ferè omnes essent amusi, & à meo abhorrerent instituto, mira tamen confidẽtia non dubitaui meas ingenij dotes (quas scio perexiguas) mercatoribus insinuare, & (pene dixerim) obtrudere: quando Martis etiam truculentissimæ manubiæ placidissimis Musis cõsecratæ habeantur acceptæ. Incidi itaque in Ioannem Tornæsium, virum (Dij boni) quanta humanitate in humanioris disciplinæ professores! in egenos pathia! familiaritate in suos! integritate & clementia in omnes! Is licet ingentẽ prouinciam & onus (vt fertur) atlanticum humeris meis, iuuenili fortè robore vernãtibus, nulla interim basi suffultis imposuerit: duro tamen telo necessitate compulsus tuli modestè, & opus hoc imprimis vtile, ab alio inchoatũ deduxi quã potui ocyssimè vsq; ad vmbilicum. Grauiorem fateor materiam, latiusq; exuberantem, quàm quæ leuiusculis metris & stricta oratione debeat coarctari. Sed, mi lector, me absolues innocuum, tantum abest vt reum agas, simulatque euidentissima demonstratione obtinueris etiam in hac re Syrenum conducere scopulos.

pulos. Si enim expertus medicus acerbiuſculã potionem compoſiturus ægroto, oram poculi melle circumlinit: Si comici ſub Thaidis & Bacchidos faſcina, aliarumq; leuium perſonarum larua ethicem exprimunt: Si Satyrici mille iocis diffluentes & ſalibus, quaſi aliud agentes, rem acu (quod aiunt) attingunt: quis vetet nos quoque præceptores blandis cruſtulis allicere diſcentem? & floribus quibuſdam & ſchematis mitigare ſacroſanctæ ſcripturæ difficultatem? Nam quotuſquiſque aſſentitur Hieronymo aſſerenti euangelica verba etiam micare in cortice? Ne ipſe quidem prius illam linguæ ſtribiliginem, niſi multis flagris eò adactus, ſuis mollicellis recepit auribus. Sed quorſum hæc tam copiosè? vt intelligas, mi lector, nil præter decorum, cùm in carmine, tum in ſculptura (quæ poëſi firmiſsimis anſulis, & quaſi duplici cognatione coniuncta eſt) accidiſſe, ideóque nec aſpernendam quam in tanto pretio, & æſtimatione habuit Iuſtinianus, vt noluerit eam in acceſſionem tabulæ cædere. Quare ſi pro laſciuo Catulli paſſere, adultera coruina Ouidij, Tibulli furioſa nemeſi, & pro Martialis inceſtuoſis cinædis, hiſce te, mi lector, qualibuſcunque ſcriptis oblectes: ſi non doctior, certè non redderis ineptior. Vale, vtere & fruere.

GVLIELMVS BORLVYT libello ſuo, vt accedat Ioannem Tornæſium adoleſcentem.

Ergo liber vulgi temerarius ibis in ora?
Nec memor Icarij nominis eſſe potes?
Nec metuis triſtes rugas, virgamq́ ſeueri
Cenſoris? quis es? haud ex Helicone ſatus.
Te proprio pede menſura. fœliciter actum
Tecum, ſi lateas, eſſe putabo liber.
Ne (velut Empedocles dios cùm ſperat honores)
Faſcibus Aetnæa deſtituare pyra.
Nam velut vmbra fugit, ſic ſe fugiſſe ſequentes
Sueuit poſteritas: non amat illa procos.
Si tamen iſta libido manet, liber, eſto quod optas
Vltimus in leuibus, pierijsq́ choris.
Sic te defendat Tornæſius ore diſerto,
Percharus muſis, indole & egregia.
Cuius & ingenium (viuat modò) noſcet Eoüs,
Et qui Phœbæos abluit amnis equos.
Huius adi, Latio licet es de fonte, camenas:
Auguriumq́ meum, indiciumq́ refer.
Protinus ille ſuo te ſi dignabitur albo
Doctorum, grates ſupplice habeto genu.
Sæpius in tremula lolium ſpectatur auena,
Et flauis ſpicis audet ineſſe filix.
Ad vada Mæandri Coruus ſtrepit inter olores,
Tu quoque prædoctis iuncte, tuere locum.

Seruitus Hebræorum.



Ut tres ruperunt Pharaonis fila ſorores,
Succeſsit Siculi ſæuior ære bouis:
Iſraël vaſtas moles qui ferre coëgit,
Et maius quàm par eſt, tolerare iugum.

Obſtetricibus Hebræorum internecio iniungitur.



Paßim Rex iubet, vt Lucinæ quæque ſacerdos
Maſculei partus demetat enſe caput.
Sic ſublata foret ſenſim fœcunda propago
Iſraëlitarum, ni vetet iſta dolor.

Masculinus fœtus flumini vt immittatur.



Altera lex Pharaonis erat, Quodcunque virile
Nascitur Hebræis, inijciatur aquæ.
Innocuos censura premit. Væ Iudicis ori,
Audet qui iusti sanguinis esse reus.

Moſes commentitia naue exponitur.



Iam tribus infantem celarat menſibus anni
Mater, cùm tandem prodita culpa fuit.
Viminea fiſcella vndæ committitur infans,
Quem procul obſeruat commiſerata ſoror.

Ancillæ piſcantur Moſem.



Principis en ſoror egreditur ſtipata miniſtris,
Ut defeſſa meris ablueretur aquis.
(Certè non huc virgo venit ſine numine) prolem
Quam videt in fluuij margine, mandat ali.

Moſes ſuum tegit homicidium.




Oderat Aegyptus benedictæ ſemina ſtirpis:
Moſes defendit ſtemma genuſq́ ſuum.
Atque Aegyptiacum mactatum deuouet orco,
Occiſumq́ virum puluere nocte tegit.

Moſes rixantes dirimere conatur.



Miſcentes dextras Hebræos increpat vltro
Moſès. Cur fratres bella mouetis? ait.
Illi reſpondent, Num nos quoque tradere fato
Niteris? heſternæ co nſcius és ne necis?

Moses fugit in terram Madian.



Vincla reformidans Moses, strepitusq́ minarum
Principis, exilio consulit ipse sibi.
In terram Madian laxatis currit habenis.
Qui tempestiuè prouidet, ille sapit.

Moſes puellas tuetur.



Gnatarum ſeptena cohors Paſtoris aquatum
Iuerat innumeros, ſole cadente, greges.
Paſtores ouium prohibent : ſed Moſe patrono
Hauſerunt quantum conueniebat aquæ.

Moſes vxorem ducit.




Officium licet exiguum, tamen afficit. Uxor
Traditur en Moſi quòd ſit aquatus oues.
Fœlices nimium, fortunatiq; hymenæi,
In quibus ens ſummum fertq; fouetq; faces.

Iſraēlitæ inuocant Deum.



Poſt obitum Pharaonis, adhuc grauiora timebant
Hebræi: precibus ſollicitantq; Deum,
Ut ſe reſpiciat miſeros, fractosq; labore.
Pulſa nocte ſolet clara venire dies.

Exaudiens Deus Iſraëlitas, apparet Moſi in rubo.



Conditor è cœlis audit ſuſpiria gentis,
Deq́ rubo ardenti talia verba tulit:
Exue te crepidis, Moſes. Quodcunq́ tueris,
Numen habet. ſanctè relligioſa cole.

Metamorphosis virgæ.



Præficitur Moses populo, manuq́ potenti,
Quo duce libertas restituenda venit.
Ne'ue fides desit, virgam transmutat in anguem.
A summa regnū, quod datur, arce ratum est.

Aaron Mosi fit obuius.



Obuius est Aaron Mosi, seseq́ salutant
Implicitis vlnis, basia deinde ferunt.
Promissumq́ dei pandens ab origine prima,
Hac in re quid agi, quærit vterq́, decet?

Pollicitam libertatem Iſraêlitis indicat Moſes.



Gaudia non potuit Moſes celare ſodales,
Tam crebrò varia pollicitata vice:
Compellatq́ viros. Vos libertate beabit
Qui regit in cœlo tela triſulca pater.

Moses & Aaron precantur Pharaonem pro libertate populi.



Ascendunt fratres præclara palatia Regis,
Iniunctumq́; sibi munus obire parant.
Ut liceat gentem tutò eduxisse, precantur
Frustrà : quippe preces littora surda bibunt.

Anguis anguem vorat.



Vendicat autoris grauitatem pondere signi
Moses, vt Princeps pareat inde sibi.
Ille sed æeis hæc fieri censet ab herbis,
Et virgas angues cuilibet esse facit.

Nilus in ſanguinem commutatur.




Sanguineum Nilus Pharaone vidente colorem
Induit, & nullis vſibus aptus erat.
Nam ſe potantes præſenti cæde necabat:
Nec tamen hoc Pharaon ſuſpiciebat opus.

Inopia aquæ laborant Aegyptij.



Infectis fluuijs lympharum vulgus egenus
Fodit, & est nullis vnda reperta locis.
Septem iamq́; dies peragunt humore carentes.
Pura magis fuerat lympha petita mero.

Plaga ranarum.




Vexatur ranis quicquid Pharaonis in aula
Degit, & Imperij quicquid in orbe sui est.
Scilicet vt ranæ tumido sic vertice turgent,
Supplicio vitijs conueniente suis.

Pharaon, ſi ranæ intereant, manumiſsionem addicit populo.




Ranas exhorrens Rex Moſis currit ad aras:
Auſcultabo tibi, ſi moriantur, ait.
Ut requies conceſſa fuit, promiſſa negauit.
Irrita ſunt, inquit, verba coacta metu.

Posſident cyniphes Aegyptum.



Quot flores & apes dulciſſima continet Hybla,
Quotq́ micant lato ſydera nocte polo:
Penè tot in Pharijs ſpectantur cyniphes oris,
Nec tamen his flecti ferrea corda queunt.

Immittuntur Pharaoni Muſcæ.



Non reſipiſcis adhuc Pharaon tot paſſus acerba?
Sic ſceleri ne nephas adſociare iuuat?
Eſt præuiſa tibi grauis, execrandaq́ pœna:
Muſcarum morſus teq́ tuosq́ manent.

Iumentorum peſtis.



Priſcorum cenſus fuerant pecudesq́, bouesq́:
Hinc huiuſce loci maxima damna patent.
Hîc moribundus equus, illic procumbit humi bos,
Iamq́ nihil prodeſt Pythia docta manus.

Vlcera Aegyptiorum.



Ut gemmis ſplendet maturo tempore vitis,
Sic Aegyptiacis pellibus vlcus ineſt:
Ut ſe vix auſint molli committere lecto,
Et iam diſpliceat quæque puella ſibi.

Moſes & Aaron eliciunt grandinem.



Efficit hybernas æſtiuo tempore nubes
Moſes, peſtifera grandine triſte minans.
Sternuntur ſata læta, pecus, pecudumq́ magiſtri:
Immotum tantum cor Pharaonis erat.

Imperat Moſes & Aaron,vt fulmen ceſſet & grando.




Deſinat, inquit Rex, mixtũ cum grandine fulmẽ,
O Moſes, votis, iuro, fruêre tuis.
At ſimul vt zephyro mulcente ſerenior aura
Ingruerat, vomitum more canis repetit.

Locustæ Aegypto immissæ.



Fluctuat huc illuc Rex, seruos dedat, an acri
Pastu locustæ prata perire sinat:
Annuit & reuocat, tandem mandata negauit,
Locustæq́ suos depopulantur agros.


Tenebræ palpabiles Aegyptum inuadunt.



Aegyptum nox obſcuris poſſederat alis,
Et durat triplici ſenſilis vmbra die,
Hebræas tantùm Phœbo lucente per ædes.
Ah quantum noctis mens Pharaonis habet?


EXOD. XII.

Agnus deuoratur.



Solennem appoſitum menſæ genialiter agnum
Excelſo comedunt præcipiente Deo:
Ut ſic illa dies niueo celebranda lapillo,
In ſeriem ſeræ poſteritatis eat.

Primogenitum omne tollitur.



Quid dura duros ſtimulos ceruice laceßis
Princeps? in promptu eſt vltima plaga tibi.
Cædetur primogenitum. Phlegethontis in vndis
Suſcipiet quantum cymba Charontis onus?

Iſraëlitæ mutua quoque & commodata conuaſant.



Mutuus expetitur nummus, bombycina veſtis,
Et quas Aegyptus diues habebat opes.
Præſtiteratq; lubens gazas vicinus amico.
Sic eſt priua ſuis hoſtica turba bonis.

Victima Mosis.



Ingreditur vates sacratum primus ad altar,
Quod circum populus cæde bidentis ouat.
His quoque post isthæc cæli, terræq́ regenti
De matrice feret pignora prima gregis.

EXOD. XIII.

In procinctu ſunt Iſraëlitæ.



Iſraël cinctus gladio & fulgentibus armis,
Fato decretas incipit ire vias.
Sacra ſimul ſecum, buſtumq́ reportat Iöſeph,
Ut quoque maiorum contumuletur humo.

In columna nubis Iſraëlitas Deus præcedit.



Cùm miſer infernos Aeneas quæreret amnes,
Non ita maternas expetiiſſet aues:
Si ſibi tam conſtans condux in nube fuiſſet,
Quàm bonus Hebræos, Moſe precante, præit.

Mergitur exercitus Pharaonis.



Insequitur Pharaon collecto milite Mosen
Per mare (quàm stolidū Marte citare Deū?)
Piscibus æquoreis factæ sunt esca phalanges,
Hebræiq; Deo carmina læta canunt.

Maria tympana impellit.



Fœmineas voces, & tympana pulsa placere
Aeterno credit dia Maria Deo.
Nam velut imprimis populo celebrauerat odas,
Rauca puellaris sic ferit æra cohors.

Mara ligno edulcoratur.



Eſt pelagus ſalſum, nullus præterfluit amnis:
Et morimur, ſi non quæ leuet vnda ſitim eſt.
Dixerat Hebræus, cùm Moſes iactat in æquor
Lignum, cumq́ fauos exuperaret aqua.

Ad Elim perueniunt Israëlitæ.



Moses in viridi serò sua castra locauit
Gramine, quod multo nobile fonte fuit.
Palma frequens folijs generosas præstitit vmbras,
Quales nec Tempe, nec locus vllus habet.

Murmur Iſraëlitarum.



Iſraël fremitus, & iactat in æthera murmur,
Quòd non ſit dubijs menſa referta cibis.
Nam nil præterquam Cererē, ſobriumq́ fluentū,
Et nullas carnes deliciasq́ probant.

Cothurnices captantur.



Quòd petijt deserta situ numerosa cothurnix,
Nulla quòd effugit retia nexa plagæ.
Sic visum est patri, qui nullo tempore iustos
In se sperantes destituisse potest.

Pluit manna.



Ambrosiaq; suos & nectare pascit ab alto
Iuppiter. his frustis nomina manna dabant.
Tantum quisque sibi, quantum sibi sufficit, aufert.
Cur cruciat nostros sollicitudo viros?

Præcipit Moſes quietem ſeptimo die.



Sexta dies duplices prouentus panis habebat.
Id præcellentes obſtupuere duces.
Explicat hoc vates: Cras cuncta quieta ſit ætas,
Impleat vt legem: nunc alimenta legat.

Septimæ diei quies.



Septima lux roſeo placidè conſurgit ab ortu,
Manſit in electo turba moleſta loco.
Cumq́ bobus terram findens ceſſauit aratrum
Nos franget, ſi quod continuemus opus.

Manna tabernaculo infertur.



Spectandum cuiuis cur manna reponitur ara?
Ut populus grates conuenienter agat.
Tu quoque (quisquis eris) dum sanos spiritus artus
Diriget, agnoscas, quicquid es, esse Dei.

E petra proſilit fons.



Collegit Moſes cygnæo crine verendos
Longæuos, teſtes de bonitate Dei:
Cùm de perduro ſcatebras procedere ſaxo
Iuſsit; & imperium conſequeretur opus.

Amalech bellum Iſraëlitis infert.



Concurrunt haſtis, violentaq́ prælia miſcent
Hebræi atque Amalech, Moſe tuente ſuos.
Quippe leuans in monte ſuas ad ſydera palmas,
Suſtulit aduerſos, marte fauente, viros.

Iethro vxorem filiasq; Mosis adducit.



Magnificus rumor de Mose relatus ad aures
Iethro, quòd victor quattuor esset equis.
Adduxit dulces cum chara coniuge gnatas.
Ille salutato disserit acta Dei.

Moses solus iudicialem cathedram occupat.



Solus adimplebat legis subsellia Moses,
Cùm Iethro, res hæc plena laboris, ait.
Elige præstantes equites, populiq́ tribunos,
Qui reddant iusto iura seuera foro.

Moſes in Sinai monte Deum accedit.



Solus adit Sinai præfracti culmina collis
Signifer: huic fas eſt cum Ioue poſſe loqui.
Cætera turma profana procul, procul eſſe iubetur,
Nec potuit tanti luminis eſſe capax.

Congregatus populus Domino vouet obedientiam.



Congregat antiquos vates, gentemq́ togatam,
Arcaniq́ refert singula iussa Dei.
Obsequium spondent omnes : quis nanque recuset
Clementis Domini tam leue ferre iugum?

Edicit Moses vt populus se dignum spectaculo Dei exhibeat.



Corniger aduertit magni spectacla potentis
In Sinai trina monte futura die.
Casta placere monet: niueis in vestibus vt sint:
Nec dulce admittant, quod sit amore, malum.


Deus deſcendit in montem Sinai tradens Moſi tabulas.



Ingens increuit ſtrepitus, clangorq́ tubarum,
Atq; frequens claro fulmen ab axe ruit:
Cùm Moſi tradit geminas in monte tabellas,
In quibus inſcripſit propria iura Deus.

EXOD. XXXII.

Iſraël adorat vitulum.




Diutius hærebat vates in rupe: peroſæ
Sunt populo lentæ, perpetuæq́; moræ.
Immemoresq́; Dei, vitulum pro numine condunt,
Sancta cui flexo poplite thura ferunt.

Fit victima vitulo.



Ecce deauratus vitulus pellucet in igne,
Et redolet structis thusq; merumq; focis.
Quàm citò signiferum letheæ mandat arenæ
Israël? spernens numen onusq; Dei.

Comederunt & biberunt, & ſurrexerunt ludere.



Ut depulſa fames epulis, iuueneſque ſeneſque
Cantabant lepido verba iocoſa ſale.
Aſt alij gaudent manibus contingere poſtem,
Aut ſeruare pedes, luxuriemque chori.

Moses rumpit tabulas.



Legifer vt vidit miseræ deliria gentis,
Cùm vitulum Dominum, Cœlicolamq́; vocant:
Atrox feruebat circum præcordia bilis,
Et geminas tabulas iecit vtraq; manu.

Adusti vituli cineres aquam reddunt amaram.



Ecce deum vitulum Vulcanus adurit, & eius
Reddit acetosos vsta fauilla lacus.
Hos tamen Hebræus debet potare liquores,
Aut diu morosam pertolerare sitim.

Filij Leui fratres & propinquos sternunt.



Exclamat Moses: si quis Dominumq́ Deumq́
Mente colit, veniat proximus ille mihi:
Et iugulet fratremq́ suum, nec parcat Achati,
Ut piet admissum victima cæsa nephas.

Exuuiæ Hebræorum.



Fœmina priuatur mundis muliebribus : at vir
Aeratis loculis. mœret vtrunque genus:
Et ſibi pro luxu luctum peperere procaces.
Ultima lætitiæ vendicat angor edax.

Deus in nube tabernaculum fœderis ſubintrat.




Fœderis in Templum venit ſub imagine nubis
Iuppiter: is verè pacis oliua fuit.
Nam Moſes veniam dura pro gente precatur,
Et prius amiſſus conciliatur amor.

Mosis teguntur oculi, ne faciem Dei videat.



Si Sol immenso resplendet in orbe coruscus,
Ad cuius radios lumina quæque cadunt.
O quanto magis illustris Deus extat: ocellis
Hunc Moses credis posse videre tuis?

Moſes ieiunauit quadraginta diebus & noctibus.



Quî quater expleuiſſe decem noctesq́ diesq́
Ieiunus Moſes peruigilansq́ poteſt?
Certè diuinis patientem legibus aurem
Qui dat, habet ſomni, materiemq́ cibi.

Moſis facies micat.



Legifer à celſo Moſes vt venit Olympo,
Fulſit vt à mutilo lumine Luna ſolet.
Eius ab aſpectu fugiunt, velut agna leonem,
Hebræi. Moſes ſum : quid abitis? ait.

Moſes mandata depromit.




Quæ ſibi per ſummum commiſſa fuere tonantem,
Explicat expreſſo legifer ore ſuis.
Is tamen obuelat faciem fulgore micantem,
Qualem vix aquilæ ſustinuiſſe queant.

Exurgit Sanctuarium.




Extruit electus faber in quo sacra locentur,
Imprimis docta, Praxitelisq́ manu.
Intereà plebs sponte sua quodcunque necesse est
Suppeditat, nummos alter, & alter opem.

Admiratio operis.




Perfectam ſpectant ædem ſtupefacta caterua:
Materias etenim ſculptile vincit opus.
Nobile Phidiacum celato toreuma vetuſtas,
Cedat Arachnæa purpura texta manu.

Oraculum, & Arca.



Ultima ſunt iſthæc Theſeia relicta miſellis,
Quæ gemini Cherubin qua licet arte tegunt.
Arca ſubeſt, cincta ex decoctis montibus auro,
Quale nec eructat diues arena Tagi.

Mensa structa cum varijs cyphis.



Hanc vllæ struxere manus sine numine mensam?
O magni ingenij iudicijq́; virum.
Nam læues cyathos, & plenam thuris acerram
Non quisque posset composuisse rudis.


EXOD. XXXVII, & XXV.

Septem candelabra.




Imparibus gaudet numeris Deus. ænea ſeptem
Candelabra pijs impoſuitq; locis:
Ut ſibi veſtalem ſeruent ſolemniter ignem,
Qui penitus cunctis debet adeſſe ſacris.

Altare.



Imbuet hoc altar vittatus presbyter agno,
Et feret in promptis salq́; merumq́; cyphis.
Paulatim delubra Dei sic magna fuerunt,
Nec temerè sacris iura forumq́; fauent.

Aureum altare.




Quattuor euectum præclarè cornibus altar
Ornat inaurato tegmine templa Iouis.
Aspicis vt pateræ desudent floris odorem,
Qualem vix pleno vere dat vllus ager?

Veſtis Presbyteri.



Induit hîc Aaron precioſas murice veſtes,
Ut poſcit grauitas, officiumq́ ſuum.
Scilicet imberbes vidi caneſcere palla,
Et planè mores exhibuiſſe ſenum.

Sanctuarium purgatur.



Ut decet hanc ædem, labes abstergitur omnis,
Ungitur atque oleo quicquid in æde latet.
Ipse suas Aaron pollutas abluit vndis
Palmas, ante sacræ lumina prima domus.

Nubes tabernaculum circunfulget.



Vltima vix fuerat ſuperaddita lima labori,
Cùm circunfulſit myſtica ſana Deus.
In nubis ſpeciem ſe transformauerat, in qua
Conſueuit dubias diſſoluiſſe vias.

EXOD. XL.

Nocte ignis præit Israëlitas.



Ut Pollux offert noctu sua sydera nautis,
Neptuno fluctus exagitante maris:
Sic Deus omnipotens præcedens castra suorum,
Ne malè deflectant, indicat igne viam.

Signa itineris.



Ut Deus extructas in nube reliquerat aras,
Quisque studet longæ tædia ferre viæ.
At simul ac nubes impendet, figere gressum
Naturæq; suum contribuisse parant.

Victimam claritas Dei absumit.



Acer odoratis taurus fumabat in aris,
Pinguia flammiuomus cùm calor exta vorat.
Hinc populus fortunatum benè conijcit omen,
Supplicat æterno, conspicuoq; Deo.

Nadab & Abiu circunueniuntur ab igne, & exuruntur.



Flamma vaporatum delambit & implicat altar,
Quam ſtultè auxerunt ex Aarone ſati.
Quippe peregrinos focus hic non ſuſtulit ignes.
Sic ſtant amborum membra cremata rogo.

Efferuntur cadauera.



Longius à cultis funesta cadauera templis
Portantur, coruis esca futura nigris.
Exemplis horum ne quis sublimia tentet:
Dædala consultis est meditanda fuga.

Blaſphemus lapidibus obruitur.




Dixit in inuictum per iurgia probra tonantem
Ignarus iuuenis diſsimulare iecur.
Sed non flagitium communi morte piauit,
Nam caput inuiſum ſcrupea ſaxa premunt.




Hîc fortunatæ monſtrantur mœnia terræ
Moſi, ſed proprio non adeunda pede.
Flumina mella ferunt, lactucam frondea tellus,
Sponte ſua vitis pinguia muſta gerit.



Arma, virumq́; duo, quibus & circundata vallo
Urbs sit, finitimo quoq́; sub hoste iacet,
Explorant timidi, subeunt putidumq́; lupanar,
Quos texit fictis cauta puella dolis.



Israël durum per inexcusabile crimen,
Seruitium subiens à Ioue poscit opem.
Nec mora surrexit, Dux bello magnus & hasta,
Qui libertatem restituisse queat.



Cernit vt effuſas equitum peditumq́ cohortes
Siſara, quid faceret neſcius, æger erat:
Et ſua commiſit trepidantia membra ſopori,
Cùm fixit clauo tempus vtrunque Iahel.



Exoritur curui litui, clangorq́; tubarum,
Et Gedeon lustrat castra inimica Deo.
Repperit oppressos omnes in vallibus hostes.
Si Deus est noster, quis nocuisse potest?



Conduxit deploratos hinc indeq́ scurras
Abimelech fratres, & necat enſe ſuos.
Sed luit hoc crimen ſubdens incendia turri,
Torſit in illius fœmina ſaxa caput.



Egerat innumeras vulpes in retia Sampſon,
(Quanuis non canibus Delia magna tuis.)
Quarum commiſsis caudis cum ſulphure tædas
Appendit: ſpicas ſic, ſegetesq́; cremans.



Mille viros Sampson disperdit & atterit osse,
Dignus cui detur querna corona Iouis.
Ni nactus præmium multò præstantius esset,
Limpidus ex eius cùm lacus osse fluit.



Undique frugiferæ defalcabantur aristæ:
Præteritas messes Ruth sibi egena legit.
Quam fundi Dominus sic caste cœpit amare,
Hæc vt poßideat quicquid habebat opum.



Ut malus obsedit Saulis præcordia dæmon,
Et furit, & mentis fit malesuadus inops:
Dauid pulsabat mira dulcedine chordas,
Ingenium donec iudiciumq́ redit.



Dauid in obſcuro retinendus carcere præceps
Labitur, arcanè deſeruitq́ lares.
Miles adeſt, pulſatq́ fores, vt Principis hoſtem
Vinciat. Eſt æger, quid petis? vxor ait.




Speluncæ Saul immanes intrauit hiatus,
Ut ventris præsens exoneraret onus:
Cùm partē chlamydis Dauid demōstrat, et inquit,
En munus Princeps est tua vita meum.



Occumbunt Saulis tres gnati vulnere, quartus
Ipſe tua princeps adderis icte manu.
Cur miſer anteuenis fugientia tempora vitæ?
Sponte ſua properat mors, pueroſq; rapit.




Intulit Amnon vim, famosaq́ stupra sorori,
Carè hos incestus concubitusq́ luens:
Nam gratis epulis & læto mersus Iaccho,
Purpuream fuso sanguine reddit humum.




Utile consilium prudenti pectore promptum
Achitophel sperni, cùm reperisset, abit.
Ultima testatur, disponens singula: duræ
Nam sibi decretum est dedere colla cruci.




Calcaribus celeri feriens ſua terga caballo
Abſalon, & ſyluas & loca ſola petens,
Maturans vel ſorte gradum, vel numine, ramo
Hæſit, & hærentem raſilis haſta ferit.



Insequitur gnatum Bochri munitus Ioäb,
Et stetit ante vrbis mœnia tela minans:
Quem vocat ex alto pulcherrima fœmina muro,
Ciuibus vt parcas, in caput hostis habe.



Ioab inauratis insistit cornibus aræ,
Illum non tamen hæc anchora iacta iuuat:
Sed cadit infamem spectans moribundus asylum,
Nec sacer excusat crimina tanta locus.



Affatur Salomonem mentis opumq́ potentem,
Et Regina ſtudet notior eſſe viro:
Obijciens plenum cæcis ænigma tenebris,
Num Rex ex facili diſſoluiſſe queat.



Ut Leo veridicum decerpserat vngue Prophetam,
Quòd transultarit iussa seuera Dei,
Assedit prædæ, durumq́ reseruat asellum.
Non pugnas vmbris, ô generose Leo.



Audijt vt fore deuictam obſidionibus vrbem
Chambri, nulla ſuper ſpesq́; ſalusq́; fuit.
Nam ſe ſuccenſam recipit periturus in aulam.
O quàm magnificæ facta fauilla pyræ eſt.



Haurit in austero torrentis vortice lympham
Helias, corui ſuppeditantq́ cibos.
Miror cur tantùm mercator congerat auri.
Diram fortè times Euclio auare famem.



Fatali infantem priuat Proserpina crine,
Et conclamatum iam fore mater, ait:
Ni pius Helias vitales redderet auras,
Perq́ Iouem æternum iam rediuiuus eat.




Excitus à ſegni releuat ſua membra ſopore
Helias, ſedans pane lacuq; ſitim.
Angelus hoc ſuadet, quòd ſemita longa superſit,
Semita ieiuno non facienda viro.



Terras mira fames rabiesq́ premebat edendi,
Annona miseras destituente domos.
Præstitit Helizeus tum consolamina vulgo:
Nam præter panem cuique farina datur.



Milite Rex Syriæ vallum circundedit vrbis.
Horruit hoc vatis seruus, vt agna lupum:
Indicat & vati: Cui vates, Pone timorem,
Maior pro nobis copia bella geret.



Iesabel patula præceps eiecta fenestra,
Fit rabidis canibus sanguinolenta cibus.
Nec flos ætatis, nec rosida purpura malæ
Profuit. I iacta Laodamia comas.



Impositum tumulo Helisei putre cadauer
Egreditur viuum, tangit vt ossa senis.
Quanta viri virtus! Stygis irremeabilis iste
Diuino solùm remige vertit aquas.




Cùm genus infidum fuit ad monstrosa relapsum
Numina, zelotes Iuppiter altus erat.
Hinc cunctos Idololatras strauere Leones.
Vltores fortes fortior vltor habet.



Angelus Aſſyriæ populum validamq́ꝫ cohortem,
Et triſti rapidas deſtruit enſe rotas.
Sic fuerãt fuſi (quorũ memor Aethna) Gigantes.
Naturam oppugnet nemo, Deum'ue ſuum.



Aßyriæ Princeps Idola profana colebat:
Filius illius perforat ense latus.
Absint Magnatum preciosa pericula census:
Tutior est humilis Principis æde casa.



Indicat Ezechiæ vates instantia tela
Mortis, & alterius sceptra tenenda manu.
Ezechias gemitus imo de pectore ducit,
Se Deus vt seruet, continuetq; dies.



Hunc diu velauit ſecura obliuio librum,
Moſaico dantem iura ſeuera foro.
Erutus eſt tandem caneſcens ſorde ſituq́ʒ.
Quàm multos libros ſordida blatta voras?

IIII. REG. XXV.



Vrbs Solymæ læto toties euecta trophæo,
Cristas à timidis amoue victa comis.
Arcetur solidis Princeps tuus ecce cathenis.
Quid membris fiet, si caput ista ferat?



Informes ſtrages & mutua funera denſant
Diſcors militiæ turba volente Ioue.
Sicut vipereis fratres ex dentibus orti,
Alter ab alterius vulnere læſus, obit.



Vera parant odium. Zacharian edocet vſus:
Nam cæſus ſaxis, & ſine voce iacet.
Quòd pius aſſeruit maiorum templa ſuorum
(Ne neglecta ruant) reſtituenda Deo.



Quisque sibi tales expectet Erinnyes olim,
Corporibus quales intulit alterius.
Ante diem misit Ioas ad auerna prophetam,
Ante diem famulis statq; caditq; suis.




Mœnia demolita pilis, & tristibus armis
Sollicita reficit turba fidelis ope.
Læua tenet gladios, viscosam dextera calcem.
Sic plebs Mopsopia fecit in vrbe rates.



Captiuis tantùm ſobriè dimenſa dabantur,
Succurrit ſocijs ære Tobia ſuis,
Fercula dans ægris, ſublatis morte ſepulchrum.
His emis igniferum, magne Tobia, polum.



Cete damnoſo de Tygride forte Tobiæ
Annatat, & Raphaël conſule in arua trahit.
Carnibus illius veſcuntur : at apta medelæ
Cuſtodit (pectus, felq́ꝫ, iecurq́ꝫ) ſibi.




Pinguibus è mensis vt venit nocte Tobias,
Traditur in thalamos virgo petita suos.
Tum piscis iecur accensum cacodæmona sternit:
Quem fugat hinc Raphaël, compedibusq; ligat.



Ne frangat vires patientia longa Tobiæ,
Præuidit Dominus, portus & aura bonis.
Felle linit gnatus senioris patris ocellos,
Et cadit à visu squama reuulsa suo.



Credentem lecto titubantia membra Lyæo,
Vincit Holophernem ſomnus & alta quies.
Iudith id obſeruans, audaci mente ſecurim
Librat in illius colla, ſecatq́ caput.



Succiduis genibus Regem Regina precatur
Esther, ne populo pax ſit adempta ſuo.
Annuit hoc Regis clementia: pendet & hoſtis
In cruce, quæ victis antè parata fuit.



Innumeras plagas inſligit Dæmon Iobo,
Occupat & teneram lurida lepra cutim.
Ille nihil, tantùm lenit ſua damna ferendo.
Cælum vim patitur, militet omnis homo.



Iuit vt Ezechiel per campos ſtrage refertos,
(Nam nil præterquam triſte cadauer erat)
Undique veſtiri cœperunt carnibus oſſa:
Viſa fuit res hæc prodigioſa viro.



Instar pyramidis ſubuecto ſtipite diuo
Tres pueri nolunt exhibuiſſe decus.
Sulphureas in fornaces mittuntur, & ignis
Decoquit astantes, nec tamen vrit eos.




Baltazar ambigua peragens conuiuia mensa,
Ebibit auratis ebria vina cyphis.
Ecce manus digito describit verba, peritis
Quæ nec Aruspicibus, Fatidicisq; patent.



Suspexit Babylon squamosum pelle Draconem,
Pro Saturnigena, perpetuoq; Deo.
Non tulit hunc fastum beluæ Danielis imago,
Atque dat hausturæ toxica sæua feræ.



Ut damnatus erat Daniel, ſubit antra Leonum,
Nec tamen hoc auſi ſunt violare caput.
Exiuit vates: pars aduerſata ſubintrat,
Et patitur catulos exſtimulante fame.



A Domini facie Ionas transcurrit ad æquor,
Nec mora vesani feruet arena vadi.
Quæ sit causa mali nautæ mirantur: at ille,
Ah ego, vah ego sum sarcina tanta rati.



Disgluptum Ionam eructat piscis in auras,
Ut completa dies tertia Solis erat.
Hunc Deus ablegat Niniuæ : quia regula vitæ
Ignoratur ibi, nec timor vllus adest.



Prædicat exitium Niniuæ, ni vela reflectat,
Ionas, & lacrymis crimina mille lauet.
Nam putet, & scelerum sentina cloaca malorũ est.
Auscultant ciues, & pia vota ferunt.



Expilare ſacri templi decreuerat æra,
Sperans innumeras Heliodorus opes.
Fallitur augurio: capiti ferus ecce caballus
Inſilit, & tergo verbera ſæua luit.



Quòd nollent vesci porcina carne, tyrannus
Germanos septem cum genitrice necat.
Sic mores, leges, sic ius defendere tutum est,
Si iubet hoc pietas, relligioq; monet.

231 ~~284~~ feüilles ou 231 Estampes.
Du petit Bernard.